BREVE S. D. N.

CLEMENTIS PAPAE VIII.

Pro conſeruatione Bibliothecarum Ordinis Carmelitarum.







CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Quæ ad tuenda, & conſeruanda bona, & iura ſpectantia ad perſonas, & loca eccleſiaſtica in ijs auctoritatem noſtram libenter interponimus, prout in domino conſpicimus ſalubriter expedire. Volentes itaq; conſeruationi Bibliothecarum in quibuſuis Domibus, & Conuentibus ordinis fratrum Carmelitarum pro communi eorum vſu inſtitutarum, & inſtituendarum opportunè proſpicere. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Vniuerſis, & ſingulis perſonis eccleſiaſticis ſecularibus, & regularibus, ac etiã laicis cuiuſcunq; ſtatus, gradus ordinis, vel conditionis exiſtentibus auctoritate Apoſtolica per præſentes interdicimus, ac diſtrictè prohibemus, ne deinceps perpetuis futuris temporibus ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua libros, & monumenta ſiue impreſſa, ſiue manuſcripta ibi exiſtentia amouere, vel ſubtrahere quo quo modo præſumant. Hos enim quoſcunq; amouentes, & ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ipſo facto incurrendæ, a qua ab alio, quam à Romano Pontifice, niſi duntaxat in mortis articulo abſolui non poſſint, ſubiacere volumus, atq; decernimus. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & ordinis prædictorum, etiam iuramento, cõfirmatione Apoſtolica vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Verùm, quia difficilè foret præſentes literas ad ſingula quæq; loca, vbi expediens foret, deferri, volumus, & ſimiliter dicta auctoritate decernimus, quòd illarum exemplis, etiam impreſſis, in dictis Bibliothecis, & loco conſpicuo, vbi commodè legi poſſint affixis, ac manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo eiuſdem ordinis Generalis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 29. Maij. 1593. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

M. Veſtrius Barbianus.

ROMAE, Ex Typographia Reuer. Cameræ Apoſtolicæ.